



Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

22. Dies Augusti. Quâ fronte Sacratissimo Templo assistit, qui inanibus fabulis, & otiosis verbis insistit. Stephanus Papa.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

22. DIES AUGUSTI.

Quâ fronte Sacratissimo Templo assistit, qui inanibus fabulis, & otiosis verbis insistit. *Stephanus Papa.*

Reverētia I.
in Tem-
plo.

Fulminatrix hæc est sententia, Tarpeiâ rupe, velut è flammea nube, ore Summi Pontificis in sacrilegos Templi violatores percussa. Quanta sit porrò indignitas, sacra fama profanantium; patebit, si quis expendat, quanta sit Templorum dignitas. Quid est Templum? Testimonio Eusebii: (a) *Veneranda, & augusta Virtutum schola.* Suffragio S. Chrysoft. (b) *Spiritalis Anima portus.* Judicio S. Ambrosii: (c) *Sanctitatis domicilium, & sacrarium Trinitatis.* Aliorū deniq; sensu, est communis vitæ perfugium, Ara sanctitatis, Devotionis officina, Numinis palatium, vetricis Religionis Augustale, primulum atrium fœlicitatis. Ibi augustum orbis terræ sacrificium; ibi cantus, & communes fidelium preces; ibi sacræ cæremoniæ administrantur. Ibi Evangelicæ Doctrinæ buccinatores, voce populū erudiunt; Aræ, devotionem instillant; Divorum inspicendæ effigies, quodammodò nos alloquuntur, & hortantur ad Pietatem. Ibi laus Dei, pia vota, & desideria cordium, viventium consolatio, quies mortuorum. Ibi officina miserationum; ubi, occurrit prodigo, dulcis parens, osculoque blanditur, & vitulum saginatum occidit. Ibi, est Numinis sedes, & prætorium dignitatis; ubi Cherubim trisagio suo, Deum modulando, venerantur. II. Quid

(a) *De vit. const. l. 1. c. 46.* (b) *Hom. 24. de. Bap. Chri. l. 3.* (c) *Hexam. c. 1.*

II. Quid igitur, eos facere par est, qui Aram Sa-
cro-sanctis Religionibus horrentem, ad Taberna-
culum, ad Basilicam Regis Regum, & regium veluti
solum accedunt: ubi, Deus, Deus ipse, ter-sanctum
Numen inhabitat, cum tota cæli pompa, cum splen-
dore gratiarum, circumamictus undique gloriâ suâ,
& Majestate: ubi, Deus-Homo sub augusto cono-
pæo moratur, respiciens per fenestras, prospiciens
per cancellos: ubi delitiatur cum filiis hominum: u-
bi, suæ dulcedinis copiam effudit: ubi, occurrit ho-
minum votis, & amoris succinit. Nisi in illo loco, qui
verè terribilis est, omnes pietatis vires exeramus,
condemnabunt nos Ethnici; è quibus unus, dum illa
edicit, nos confundit: (a) *Intramus Tempia compositi;*
ad sacrificium accessuri, vultum submittimus, togam
adducimus, in omne argumentum modestiæ fingimur.
Laudabilis quoque fuit consuetudo Suevorum, qui,
cum prius nullum haberent fanum; sed Lucum tan-
tùm religione sacrum, ubi versari Numen arbitra-
bantur: nemo illic ingrediebatur, (b) *nisi vinculo li-*
gatus, ut minor, & potestatem Numinis præ se ferens, in-
quit Tacitus. Omnes igitur fuere vincti; ut rei, ve-
recundiâ cooperti, Deiq; reverentes, quiq; vix digni
forent, qui solum ipsum consecrati Luci continge-
rent; adorandi, & orandi causâ ingrediebantur.

III. Quis Christianorum sic colit Deo con-
secratum Templum, in tanta Evangelii, & fidei
luce, ut Gentiles, suum Lucum? Cum Deus ado-
randus proponitur, cum preces fundendæ, cum
colloquendum cum Angelorum Rege; quibus-
nam hîc moribus, quâ attentione res agitur? popli-

T t 2

tem

(a) Seneca l. 7, natur. quest. c. 30. (b) De mor. Germ.

rem humo allidete; piaculum, genua curvare; nisi illa pulvillus, aut chirotheca excipiat, nefas. Sunt, qui tantisper, dum Mystes facit, barbam mulceant, instruant, & in ordinem, ac leges reducant: alius, socio ex Hispania, ex Gallia nova in aurem garrit: nec desunt, qui oculis emissitiis, omne Templum obambulant, animo domum remisso. Sic multi, additum Numini delubrum, tanquam ad profanum circum, & nugarum diverforium procedunt. Nulla in voluntate inflammatio ad Divina, turbida mentis cogitationes, & volaticæ, incompositus animus, interior omnis politia dissipata. Sed cum in Templis sit tanta Majestas; in illis, qui illud adveniunt, requiritur maxima & animi, & corporis puritas. Hinc Poeta: *Casti placent superis*. D. Hieronymus sensum animi sui sic exprimit: (a) *Quando aliqua mali in animo meo cogitavero, & me nocturnum phantasma deluserit: Basilicas Martyrum intrare non audeo, ita totus, & corpore, & animo pertimesco*. Notum est illud à Gregorio Turonensi proditum: Multerosus Diaconus cum argenteam Turrim, sacram, videlicet, Hierothecam, in qua Venerabile Christi Corpus continebatur, de morte ad Aram ferret; indignatus Virginis Filius, flagitiosissimis illis tenentibus, quæ nequitia impiatæ fuissent; ipsa Turris evolavit per aera, & Divinitus ad Altare contendit; nudum, & inanem relinquens Diaconum, quem pudor, & rei novitas singularis, & conscientia vis, in horribilem metum conjecit. Tales, qui inter sacra limina, torquent in mulieres sua lumina, & qui, dum interfunt sacrificiis, lenocinantur

ocu-

(a) *Contra Vigil. de glor. Mart. c. 86.*

Augustus.

Tessera.

661

oculis, merentur Christi flagello, è Templis, ut canes ejici; imò & in tartara conjici. De Christo piè Poeta:

In Templo gentes, Christus percussit ementes.

23. DIES AUGUSTI.

Si non places; non placas. *Bernardus Epist. 41.*

Sacrificiū I.

Missa est propitiatorium.

A

Crurus de illo sacrificio, quod cæterarum omniū hostiarum amplitudinem, magnitudine suâ præcellit, & præ-

stabili dignitate obruit, præmitto illud breve, sed nervosum D. Bernardi pronuntiatum: frustra sacerdotem illam infinities adorandam offerre Deo in Ara pro se victimam; nisi, qui offert, Deo sit amicus: Quia *si non places, non placas*; nec erit hostia sacerdotis acceptabilis ex opere operantis, nisi qui offert, Deo sit acceptus. Quòd si offerens placeat, tum demum offensissimum, unico hoc sacrificio facile placabit: quia in hoc sacrificio reperiuntur omnes excellentissimæ rationes Dei placandi. Hic enim holocaustum, hic hostia pacifica; hic propitiatorium sacrificium continetur. In hujus oblatione victimæ, & maculæ exuruntur ex animo, & furva cadent, & sæda nitent, & obscura clarent. Nec herba Borith tantam vim habet, nec fullonum creta, nec Mosaica hyssopus tincta purpureo sanguine, nec fanorum aspergilla, nec balnea populorum ad inducendam animi munditiam. De eo D. Paulus:

(a) *Unâ oblatione consummavit in æternum sanctificatos.* Unam vocat oblationem, ut apicem omnium

T r 3

facri-

(a) *Heb. 18.*